illud enim non omnino oblongô, neq; testudinatâ, neq; planè
rotundâ, sed quæ omnium quasi sit particeps, tereti quadam
efformavit habitudine, quâ neq; ad agilitatem, neq; ad ele„
gantiam accommodatior ulla reperiri potest: tum etiam quo
proboscidem spiculavit ingenio, quàm exili, quàm reciprocâ
arte conformavit? ut fodiendo acuminata, sorbendoq;
fistulosa deprehendatur; texturā verò tergoris quām sine
ullo dispendio capiti continuavit? quàm pulchrè imbricatis,
sed etiam ponè inexplicatis coniunxit vertebris? ita ut
(quod omnibus insectis peculiare esse solet) frustillatī
etiam concisus, spiritûs tamen aliquid servet, mortiq;
intrepidè occurrat, et, quod omnia domat, fatū moretur
et expectet, tantus est in tantillo corpore vigor, tantâ
pollet acrimonia! quid iam dicam de pedibus? qui suis
distincti internodijs non minus mirabili adhærent arte,
et quidē prioribus ad plurima utitur officia, vel ut scabat,
vel detergat, vel denique ut ijs sese in omnem partem dis„
tringat. Quis verò dedit aculeum pulici quo sanguinē exsugit?
quàm tenuis, quàm subtilis fistula est, quâ sorbet! ita ut acutissimū
etiā visū vix admittat. Cessemus iam mirari turrigeros tardorū
elephantorū humeros, taurorum colla, et truces in sublime iac„
tus, tigridū rapinas, leonumq; iubas, pulicē obstupescere nos opor„
tet, cum naturæ artificium ac ingenium nulla in re magis, nisi
in minimis integrū atq; perfectū reperiatur: Unde Plinius

Licenza: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 270r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/it/zbz/D0147/270r)